Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

bat. Cumque orientis et occidentis episcopos ob quasdam ecclesiarum dissen-
siones romam imperiales litterae contraxissent, uidit admirabiles uiros
atque pontifices, paulinum anthiocenae urbis episcopum et epiphanium
salaminae cypri, quae nunc constantia dicitur. quorum epiphanium etiam hospitem
habuit. paulinum in alia manentem domo quasi proprium humanitate
possedit. Quorum accensa uirtutibus per momenta patriam deserere co-
gitabat, non domus, non liberorum, non familiae, non possessionum, non alicuius rei
quae ad seculum pertinet memor, sed sola si dici potest et incomitata ad he-
remum antoniorum atque paulorum pergere gestiebat. Denique exacta hy-
eme, aperto mari redeuntibus ad ecclesias suas episcopis, ipsa uoto et de-
siderio cum eis nauigabat. Quid ultra differo? Descendit ad portum,
fratre, cognatis, affinibus, et quod his maius est liberis prosequentibus, et clementissi-
mam matrem uincere pietate cupientibus. Iam carbasa tendebantur, et
remorum ductu nauis in altum protrahebatur. Paruus toxotius supplices
manus tendebat in litore, rufina iam nubilis ut suas expecta-
ret nuptias tacens fletibus obsecrabat. et tamen illa siccos oculos
ad celum tendebat, pietatem in filios superans pietate in deum.
Nesciebat se matrem, ut christi probaret ancillam. Torquebantur uiscera,
et quasi a suis membris distraheretur cum dolore pugnabat. in eo cunctis
admirabilior, quod magnam caritatem uinceret caritate. Inter hostium
manus et captiuitatis duram necessitatem nichil crudelius est quam paren-
tes a filiis separari. Hoc contra iura naturae plena fides patiebatur,
immo gaudens animus appetebat, amorem filiorum maiore in deum
amore contempnens. In sola eustochio quae et propositi et nauigati-
onis eius comes erat acquiescebat. Sulcabat interim nauis mare,
et cunctis qui cum ea uehebantur litora respicientibus, illa auersos
tenebat oculos, ne uideret quos sine tormento uidere non poterat. Fateor
nulla sic amauit filios, quibus antequam proficisceretur cuncta largita est, ex-
heredans se in terra, ut hereditatem inueniret in celo. Delata ad
insulas pontias, quas clarissimae quondam feminarum sub domitiano
principe pro confessione nominis christiani flauiae domitillae nobilitauit exi-
lium, uidensque cellulas, in quibus illa longo exilio martyrium duxerat,
sumptisque alis iherosolimam et sancta loca uidere cupiebat. Tardi
ei erant uenti, et omnis pigra uelocitas. Inter scillam et caribdim adri-
atico se credens pelago quasi per stagnum uenit methonem. Ibique refo-
cillato paululum corpusculo, et sale tabentes artus in litore po-
nens, per maleas et citheram, sparsasque per aequora cycladas, et crebris
freta concita terris, post rodum et liciam, tandem uidit cyprum, ubi sancti
epiphanii genibus aduoluta, x. ab eo diebus retenta est, non in re-
fectionem ut ille arbitrabatur, sed in opus dei, ut rebus probatum est. Nam omnia
illius regionis lustrans monasteria prout habere potuit refrigeria
sumptuum fratribus dereliquit, quos amor sancti uiri de toto illuc orbe con-
duxerat. Inde breui cursu transfretauit seleuciam, de qua ascendens
antiochiam sancti confessorisque paulini modicum caritate detenta,
media hyeme calente ardore fidei femina nobilis, quae prius eunu-
chorum manibus portaretur, asello sedens profecta est. Omitto celesy-
riae et fenicis iter, neque enim odeporicum eius disposui scribere, ea tantum lo-
ca nominabo, quae sacris uoluminibus continentur. Berito romana colo-
nia et antiqua urbe sydonis derelicta, heliae est ingressa turricula,
in qua adorato domino saluatore per harenas tyri in quibus paulus ge-
nua fixerat peruenit accho, quae nunc ptholomais dicitur, et per campos mage-
don iosiae necis conscios intrauit terram philistiim. mirata ruinas
dor urbis quondam potentissimae, et ex alia uice stratonis turrim ab
herode rege iudeae in honore cesaris augusti cesaream nuncu-
patam, in qua cornelii domum christi uidit ecclesiam, et philippi ediculas,
et cubiculum quattuor uirginum filiarum eius, deinde antipatridam semirutum
opidulum, quod ex patris nomine herodes uocauerat, et liddam nunc uersam
in diospolim dorcadis atque eneae resurrectione ac sanitate
inclitam. haud procul ab ea arimathiam uiculum ioseph qui corpus domini
sepeliuit, et nobe urbem quondam sacerdotum, nunc tumulos occisorum.
ioppen quoque fugientis portum ionae, et ut aliquid perstringam de fabu-
lis poetarum, religatae ad saxum andromedae spectatricem. repeti-
toque itinere nicopoli quae prius emmaus uocabatur, apud quam in fractione
panis cognitus est dominus, cleophae domum in ecclesiam edificauit. atque
inde proficiscens ascendit bethoron inferiorem et superiorem, urbes
a salomone conditas, et uaria postea bellorum tempestate deletas, ad
dexteram aspiciens aialon et gabaon, ubi ihesus filius naue contra v. re-
ges dimicans soli imperauit et lunae, et gabaonitas ob dolum et
insidias federis impetrati in aquarios lignariosque dampnauit.
In gabaa urbe usque ad solum diruta paululum substitit, recorda-
ta peccati eius et concubinae in frusta diuisae, et tribus beniamin in ccc.tos
uiros propter paulum apostolum reseruatos. Quid diu moror? ad leuam
mausoleo helenae derelicto, quae adiabenorum reginae in fame populum
frumento iuuerat, ingressa est urbem trinomiam, iebus, salem, iherusalem,
quae ab helio postea adriano de ruinis et cineribus ciuitatis in heliam
suscitata est. Cumque proconsul palestinae, qui familiam eius optime no-
uerat, premissis apparitoribus iussisset parari pretorium, elegit
humilem cellulam, et tanta loca tanto ardore ac studio circuiuit,
ut nisi ad reliqua festinaret, a primis posset abduci. prostrataque
ante crucem, quasi pendentem dominum cerneret adorabat. Ingressa sepul-
chrum osculabatur lapidem quem ab ostio sepulchri remouerat
angelus, et ipsum corporis locum in quo dominus iacuerat quasi sitiens deside-
ratas aquas fideli ore lambebat. Quid ibi lacrimarum quantum gemituum,
quid doloris effuderit, testis est ipse dominus quem rogabat. Inde egrediens
ascendit montem syon, qui in arcem uel speculam uertitur. Hanc ur-
bem quondam expugnauit et reedificauit dauid. De expugna-
ta scribitur: Ue tibi ciuitas ariel quam expugnauit dauid, de eaque
dictum est: fundamenta e. in m. s. d. d. p. s. s. o. t. iacob, non eas por-
tas quas hodie cernimus in fauillas et cineres dissolutas, sed portas
quibus infernus non preualet, per quas credentium ad christum ingreditur multitudo.
Ostendebatur illic columna ecclesiae porticum sustinens infecta
cruore domini, ad quam uinctus dicitur et flagellatus. monstrabatur locus ubi
super c.xx. credentium animas spiritus sanctus descendit, ut iohelis ua-
ticinium compleretur. Deinde pro facultatula sua pauperibus atque conser-
uis pecunia distributa perrexit bethleem, et in dextra parte iti-
neris stetit ad sepulchrum rachel in quo beniamin non ut mater
uocauerat moriens benoni, hoc est filium doloris mei, sed ut pater
prophetauit in spiritu filium dexterae procreauit. atque deinde speluncam
saluatoris introiens, postquam uidit sacrum uirginis diuersorium et sta-
bulum in quo cognouit bos possessorem suum et asinus presepium domini sui,
ut impleretur illud quod in eodem propheta scriptum est: beatus qui seminat super omnes
aquas, ubi bos et asinus calcant, me audiente iurabat cernere se